

millibus passuum. Conditā est à Danae Persei matre, ut tradit Plinius lib. 3. cap. 5. Iulius Solinus cap. octauo. Vnde Virgilii illud Æneid. septimo. Quā dicitur urbē Acrisioneis Danae fundasse colonis, Præcipiti delata noto, locus Ardea quondam Dictus auis, & nunc magnum tenet Ardea nomen. In agro Ardeatino erant frigidi fontes, odore sulphureo fœtidi, quod etiam refert Bocatius de fontibus. **VT VENTI COACTI.** Vi concepti spiritus. **AD SVMMOS GRVMORVM TVMVLOS.** Libro secūdo indicauimus grumū esse collectionem terræ, hic pro montibus accipimus. Docet itaq; non continuo librandos esse fontes, vnde emergere videntur, fieri plerunq; ut quorū fontium videntur esse capita in summis montibus si quis latus aperiat, experiatur eo altitudinis extolli & veluti extrudi vehementia concepti spiritus, dū aqua saxi aut alia vi retinetur, quo minus librameti sui proprietate exeat, et per angustas venas exprimitur, quas si fossuris patentioribus aperueris, residit aqua, ut multi decipiantur in librandis fontium capitibus. **QVOD IN PRÆVIIS REBVS PERCOCTA.** Id est per quas permeat priusquā in aperitū prodeat. **VTI PINNÆ VESTINÆ.** Vestinos ultra Picenū esse tradit Strabo lib. 5. Pinnas autem apparet oppidū esse Pinnenſium quos in Vestinis constituit Plin. lib. 3. cap. 12. quarta Italiæ Regione. **CVTILII S.** Strabo lib. 5. nō Cutilias vocat, sed Cotiscolias. In Cotiscolis (inquit) ἄ κω λου ω λικὸς frigida aquæ sunt, quarū potus & infusio morbos curat. Plin. lib. 3. cap. 2. Cutilias cum Vitruuio dixit. Cuti-